

ius, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, iustantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individua mentionem, ac expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in premissis, eorumque aliquo solemnitate, & quavis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, preterito, ratione etiam in corpore juris clausa, occasione, aliave causa etiam quantumvis iusta, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, que ad effectum validitatis premissorum necessario exprimenda esset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integram, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratie, vel iustitie remedium impetrari, seu quomodolibet etiam Motu simili concessio, aut impetrato, vel emanato, uti, seu se iuvare in iudicio, vel extra posse, neque easdem premissas sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per dictos Predecessores, aut per quocumque alios Romanos Pontifices Successores nostros pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam prefatam etiam Motu pari, ac ex certa scientia, etiam Consultorialiter, ac quibusvis de causis, ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam de ipsis presentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, pro tempore factis, & concessis, ac faciendis, & concedendis comprehendendi, sed tanquam ad majus bonum tendentes semper ab illis excipi, & quoties illa emanabunt, toties in premissis, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, ac plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quodcumque eligenda concessas esse, & fore, sicque, & non alias in premissis omnibus, & singulis per quocumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prefate S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, dictaque Sedis Nuncios, & alios quocumque quavis auctoritate, potestate, officio, & dignitate fungentes, ac prerogativa, privilegio, preeminencia, & honore fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quocumque iudicio, & in quacumque instantia iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.13. Non obstantibus secundodictis pre-

fati Clementis Præd., ac omnibus in nostris Literis prefatis super nova servitii in eadem Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali præstandi forma dispositis; ac quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus, Generalibus, Provincialibus, Synodalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, dictaque Patriarchali Ecclesie Ulixbonensis Occidentalis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis etiam ex fundatione competentibus, vel a dicto Clemente Predecessore, aut aliis Predecessoribus nostris alias præfate Patriarchali Ecclesie Ulixbonensi Occidentali, dum esset Cappella Regia, vel Insignis Collegiata Ecclesia, concessis, quatenus his, que in ipsis presentibus expressa sunt, adveniant; necnon indultis, & Literis Apostolicis prefatis Capitulo, & Canonicis d. Patriarchalis Ecclesie Ulixbonensis Occidentalis, aliisque personis quibuscumque etiam speciali, specificam, expressam, & individua mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam in genere, vel in specie, etiam Motu pari, & de Potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium premissorum concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis, etiam in eis caveatur expresse, quod illis per quacumque Literas Apostolicas etiam Motu pari pro tempore concessas, & concedendas quacumque etiam derogatoriis derogatorias in se continentes derogari non possit, neque censetur eis derogatum, quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specificam, expressam, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut quacumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, formas, & causas etiam quantumvis prægnantes, pias, privilegiatas presentibus pro plene, ac sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis, ac specificatis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad premissorum omnium, & singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime, & plenissime, & sufficienter, necnon specialiter, & expresse Motu simili derogamus, ac derogatum esse, & cense, decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Motus proprii, reintegrationis, revalidationis, derogationis, annulationis, licentia, impartitionis, concessionis, indulti, decreti, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præ-

Sum contra temerarios Bullæ hujus.

presumpserit; indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. d. e. 6. Decem. 1738. An. IX.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo trigésimo Octavo, Octavo Idus Decembris Pont. Nostræ Anno Nonno.

Loco * Bullæ Aureæ.

CCXLVI.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium circa Religiosos Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Provinciae Mexicanæ, ad alios Ordines confugientes.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex facili Religiosorum ad alios Ordines refugio omnium Ordinum disciplina collabitur.

§.1. Alias pro parte dilecti filii Ignatii Padilla Fratris expresse professi in Sacra Theologia Magistri Provinciae SS. Nominis Jesu Mexicanæ Ordinis Eremitarum S. Augustini Procuratoris ad specialia negotia missi Nobis expositum fuit, quod in dicta Provincia abusus valde observantia regulari præjudicialis, nempe, quod aliqui religiosi inquieti, & parum observantia sui Instituti amatores obedientiam, reverentiamque, ac subjectionem suis Prælatibus debitas parvificantes ad Cœnobium aliorum Ordinum, vel Congregationum, aut Institutum prætextu evadenda violentie, & effugendi rigorem suorum Superiorum confugiant, irreperant, & licet Superiores prædicti a Prælatibus Conventuum, ubi prædicti Religiosi confugiant, petant, ut patientur, quod obligatio obediendi propriis Superioribus, & se ad propria Cœnobium restituendi intimetur, vel quod illos propriis Superioribus tradant, neutrum obtineri solet, protestantes aliorum Ordinum, vel Congregationum, aut Institutum Prælati, ubi dicti Religiosi confugiant, eisdem gaudere immunitate refugii, & consequenter a proprio Prælati non posse extrahi, requiri, aut notificari, utpote in alieno territorio existentes, neque Superiores aliorum Ordinum prædictorum debere dictos Religiosos confugientes tradere, & in eadem expositione subiuncto, quod dilectus etiam filius modernus Prior Provincialis Provinciae, & Ordinis prædictorum in angustias positus ad Venerabilem Fratrem modernum Archiepiscopum Mexicanum illius Regni Proregem recursum habere coactus fuerat, ut ei auxilium regium impertiretur, quo dispersum gregem ad Ovile proprii Ordinis reducere, & hoc tantum medio relatis præjudiciis occurrere posset. Cum autem minime lateat quod si hæc Janua Asili, aut refugii Religiosis pateat, funditus disciplina regularis, ac debita propriis Superioribus obedientia corrumpatur, necnon jurgia, & discordia inter Superiores respective Ordinum cum Secularium scandalo proculdubio pullulent.

Procuratoris Ordinis S. Augustini Eremitarum Mexicanæ Provinciae instantia pro hujusmodi compescendo abusu.

§.2. Porro, ut tot malis occurreremus Bull. Rom. Ten. XIV.

per Nos declarari summoere desiderabat, quod dictis Religiosis ad Conventus aliorum Ordinum, vel Congregationum, vel Institutum confugientibus immunitas refugii, seu Asili minime suffragetur, sed a proprio Superiore judicialiter ex alieno conventu unusquisque confugientium hujusmodi extrahi, & ad proprium quocumque privilegio Regularibus concessio hac in parte non obstante, reduci possit. Quod si dicti Religiosi adhuc rebelles in parendo propriis Superioribus ad suum Conventum eosdem redeundi jubentibus perseverent, vel dicti Superiores eos tituli refugii recipientes, & auxilium præstantes propriis Superioribus tradere renuerint, utriusque poenas fugitivis, & eorum fautoribus, & protectores, necnon rebellibus, & inobedientibus per hanc Apostolicam Sedem impositas ipso facto, & absque alia declaratione incurrere debeant.

§.3. Nos supplicem libellum nobis porrectum ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositam remisimus, a qua emanavit decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster supplicem libellum remisit, attenta relatione, Eminentiſſimi Firrao præfati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris, re mature perpenſa, decrevit, Regulares unius Religionis confugientes ad Ecclesias, & Monasteria alterius Religionis, Superioribus propriæ Religionis restitui debere a Prælatibus alterius Religionis, ad quorum Ecclesias, & Monasteria confugiant, præfatio tamen ab iisdem Superioribus confugientium Juramento, & facta obligatione de servanda immunitate Ecclesiastica, & de restituendo confugientes præfatos Ecclesiis, vel Monasteriis, ad que confugerunt, casu quo procedendum sit ad poenas Corporales, carceris perpetui, mortis, & treremium, propter delicta ab ipsis confugientibus commissa, secus, si ipsi Superiores procedere deberent ad poenas Ordinarias, & ad correctionem Regularium per Constitutiones Ordinis præscriptas, cujus rei declaratio ad Diffinitorium Provinciale, vel ubi illud non fuerit, ad consilium Conventus spectabit. Quod si, consilio Regulares confugientes poenas dumtaxat Ordinarias, & per Constitutiones Ordinis ad correctionem præscriptas promerent, Prælati alterius Religionis renuant eos propriis Superioribus restituere, vel ipsi Regulares ad proprias religiosas Domos redire recuset, Sacra eadem Congregatio utrosque, ad instar Apostatarum, vel Apostatas recipientium, in excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurſos declaravit. Romæ 5. Septembris 1738. J. Cardinalis Firrao C. Archiepiscopus Damiatæ Secretarius.

Ad Congregationem Episcoporum & Regularium remissum.

Decretum Congregationis quo statutum auſugienter Superioribus sui Ordinis esse restituendos sub conditionibus, & cautelis hic expressis.

§.4. Cum autem, sicut dictus Ignatius V u 2 Pro-

1738. Supplicatum Papa pro confirmatione.

Confirmatio Pontificia.

Decretum firmitatis presentium literarum.

Obstaculum derogatio.

Transumptis danda fides.

Dat. die 20. Decem. 1738. An. IX.

Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmiter substat, & servetur exactius Apostolice confirmationis nostre patrocino communiri plurimum cupiat.

§.5. Nos ipsam Ignatium Procuratorem specialibus favoribus, & gratis profecti volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum presentium auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adicimus, salva tamen semper in premissis auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

§.6. Decernentes easdem presentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & defini debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit eiusdem Provincia, ac predicti, aliorumque quorumcumque Ordinum, Congregationum, vel Institutorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus. ceterisque contrariis quibuscumque.

§.8. Volumus autem, ut earundem presentium literarum, transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio, quam extra adhibeatur, que ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1738. Pont. nostri Anno IX.

CCXLVII.

Confirmatio Institutionis Missionum ab Archiepiscopo Salisburgensi in Civitate Salisburgen, facta, ac Regularum, ac legum pro Missionariis conditarum, & a Congregatione de Propaganda Fide approbatarum.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Pastorum Princeps Jesus Christus, cujus suprema in Catholica Ecclesia procuratore vices per ineffabile divina providentia consilium infirmitati Nostræ demandatas plane immerentes Nos gerimus, ea Pontificum animum nostrum in ovibus suo sanguine redemptis, & per viam aternæ perditionis pergentibus ad orthodoxum ovile reducendis sollicitum celestis consolationis copia, & lætitiæ magnitudine cumulare dignatus est, ut gaudio superabundantes incredibili, jubilemus Deo in voce exultationis.

§.1. Enim vero Vener. Fr. Leopoldus Archiepiscopus Salisburgensis pro eximia pietate sua, singulari Orthodoxæ religionis zelo, inuncto pastoralis Ministerii munere custodiens vigilas super grege sibi commisso summa cum nominis sui laude, laboribus plurimis, ac dispendiis ex sua, in qua commorabantur, amplissima Diocesi eiecit, ac procul expulsi vigintiduoibus millibus, & amplius Hæreticis, eorundem Terras Catholicæ fidei Cultoribus habitandas attribuit.

§.2. Præterea veritus, ne temporis processu perditissimis hominibus antiquas sedes subleste repetentibus, & ibidem nova execrandæ hæresis semina occulte spargentibus iterum illic pestifera fegetis germina subolecerent, ut aut nequitia elidatur, oportune nullis parcens industriis, & sumptibus providere studuit. Inter ceteras autem utilissimas providentiæ suæ ad susceptum saluberrimum opus conficiendum initas rationes illa in primis maximopere commendanda, quod sex perpetuas missiones a religiosis viris aliquot regularium Ordinum, & Institutorum intra præscriptos (ne dissidia ulla, aut confusio unquam ori possint) limites sub nonnullis abs se editis Capitulis, regulis, & legibus omnino peragenda fundaverit, institueritque, ac necessariis redditibus, & emolumentis ditaverit. Quæ quidem omnia Capitula, Regule, & Leges sunt tenoris qui sequitur videlicet.

Missiones in Diocesi Salisburgensi novissime instituta.

§.3. I. Pro PP. Ordinis S. Augustini in Præfectura Hallensi, & Monte Turuberg, ubi sunt Salinarum fossiles.

II. Pro PP. Cappuccinis in Oppido, & Præfectura Werheni una cum Præfecturis in Abbenau, & Golling.

III. Pro PP. Cappuccinis Civitatis Radstadiensis intra montana sita per totam ejus nominis Præfecturam.

IV. Pro

Procemium.

Arch. Salisburgensis ex Diocesi hæreticos eliminat.

Missionarios inducit, limitesque eis assignat.

Loca Ordinibus Regularibus assignata.

Missiones Fratribus Ordinibus S. Augustini data, impostaque leges.

IV. Pro PP. Cappuccinis Monasterii in Dambsvveeg Vallis Lungaviæ ad confines Carinthiæ per totam Præfecturam Mosheimensem.

V. Pro PP. Ordinis S. Benedicti in loco Svvarzachie pro Præfecturis ad S. Joannem Wagrain Prosarl, Goftein, Goldegg, & ad S. Vitum.

VI. Pro PP. Recollectis Ordinis Sancti Francisci in loco Hunsdorff super Præfecturis Taxenbacensi, Raurenfi, & Zellenfi. Nos Leopoldus Dei gratia Archiepiscopus, & Princeps Salisburgensis S. Sedis Apostolica Legatus Natus Primas Germania.

§.4. Cum ea sit hæreticæ obstinationis conditio, ut amputatis ramis illico novi, & aliquando fortiores succrescere soleant, ne que forte in Præfectura nostra Hallensi, & in Monte Turnberg in latibus adhuc delitescit, hæretica Lues, tractu temporis iterum erumpat, novique orientur, quos, proh dolor, sumus experti, rogi, continuo nobis providendum est, qua ratione insidiosus impiorum conatus, penitus reprimi, & opprimi possint, ut securi velut ad radicem posita pertinacibus mediis, pertinax malum ne qua resumtis velut viribus auferere possit. Quare cum statuerimus, quod Apostolicæ Missionis in locis prædictis post ultimam Hæreticorum emigrationem per tui Ordinis Fratres laudabiliter exercitum munus omni futura ætate perduret. Paternitati tuæ hæc nostris clementer, & serio simul injungimus, quatenus illud futuris perpetuis temporibus eo modo instituat, ut.

§.5. Primo, tribus, qui hæcenus facultate nostra (Superiore incensum veniente) in Monte Turnberg tui Ordinis sive Patres, quartum quem tibi ibi habere, auctoritate Nostra ordinaria hæc nostris permitimus, adjungas ea verumtamen conditione, & lege, quod

Secundo, duo ex eis nobis presententur ad peragendum in præelato Districtu Apostolicæ Missionis munus, vel a Summo Pontifice, vel per Sacram Congregationem de Propaganda, seu ab eo, cui ab hac talis delegabitur facultas approbari, necessarii que ad Missiones Apostolicas privilegiis instructi absque eo, quo tibi integrum sit, postquam semel fuerint ad missiones nostras delecti, eos amovere, nisi, ubi primi integrum absolverint annum, subrogatione subinde ea ratione faciendâ, ut unus, vel saltem semper adsit, qui jam per annum in præmissis Ordini tuo assignato districtu Missionarii exercuerit munus, notos habeat incolarum, salinarumque fossorum mores, sit in re Missionum practicus, potiusque instruere noviter advenientes; sintque insuper in omni ævum duo Missionarii prædicti quoad ea, quæ Missionis munus concernunt immediate, & unice nostris, nostrorumque successorum mandatis: quoad disciplinam monasticam vero, atque Domus æconomicam directionem tibi, & superiori eorum subjecti: volumus autem.

Tertio, ut mox dictorum Missionariorum unica cura sit incessanter intra prædictam Hallensem nostram Præfecturam, quate hæc quoad temporalem jurisdictionem, districtu, civico incluso se protendit de loco ad locum, & si necesse fuerit, etiam de Domo ad Domum excurrere, catechizare, rudes in Doctrina Christiana instruere, dubitantes ad viam veritatis reducere, & in hac confirmare, in hæreticos, vel de hæresi suspectos, horum Consultores, Fautores, Receptatores, librorum Accatholicorum detentores, vel Detentorum, Conscios, & non revelantes eos in Provinciam nostram ferentes, vel intrudentes, eorumque auxiliores, Conscios, seu participes inquirere, hosque, & alios huiusmodi faring homines nobis, vel cui per Nos, & Successores nostros demandabitur, sine aliqua Personarum acceptatione, omnique seposito humano affectu denunciare verbum divinum, & Fidei dogmata ubivis, & etiam ex Cathedra (sic tamen, ut ordinariorum non disturbentur Ecclesiasticæ functiones) intra ipsis designatum districtum tradere, sic, & poenitentis Sacramentum (sola dempta Confessione Paschali, si locorum Curiones ultro non annuerent) Sacrosanctam vero Eucharistiam in Ecclesia Turuberg, alibi vero non nisi, quam accedente ipsorum Curionum assensu, administrare. Item egris, & moribundis solatium cum auxilio impendere, atque peragere ea omnia, que individuum Missionarii Apostolici exigit munus, jure Sepulture, alioque quocumque Parochiali semper, & ubique extra Montem Turnberg excepto.

Quarto teneantur pariter in vitam, & mores non modo subditorum ipsis quoad Missionis Ministerium commissorum, sed et eorum, quibus ipsi subditi intra designatum Districtum ex demandata a Nobis Jurisdictione subiant, sedulo invigilare; datoque defectu Religionis directe, vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat nobis, & successoribus nostris ad nostras aures deferre, sicut e converso, & nostris demandabimus Decanis ruralibus perfectum habendi, an Missionarii ipsi Missionis munus debite adimpleant, & assequantur ex asse, quidve operentur adversus has nostras leges, Nobis defectus, ubi hos si aliqui præter spem nostram omnem contigerint, fraterna admonitio non dissipet, debite relaturis.

Quinto; Quapropter presentabuntur nobis viri cum scientia, cum & vitæ sanctimonia clari, justi, incorrupti, integri, suaves & insimul severi, graves, sagaces, cum in Polemica, cum & in his, quæ ad notitiam promovendæ hæreticis inquisitionis conducunt, bene versati, nec accipient a subditis quoad Missionis munus eis subjectis elemosynas pro Missis, aliave munera, forent licet esculenta, vel poculenta tantum, nec valeant egredi ipsi designatum districtum a nobis, vel successoribus nostris prævia non habita licentia, hæc ipsa illis non nisi gravi de causa deneganda.

Sexto,

Sexto, licet porro Ordini tuo, Apostolicæ missionis munus in prædicta Hallensi Præfectura in Turnber, & in Civico Hallensi districtu privative committamus, liberum tamen semper Nobis, & successoribus esse volumus, alios quoque alterius Religionis viros in districtum prædictum ad tempus mittere Missionarios, de districtu vero alibi etiam, & extra illum ad Missiones ad tempus pariter ablegare, Missionis Ordinis tui verumtamen fixa semper manente, suoque in robore firma.

Noverit proinde Paternitas tua, tuique successores omnes perpetuis futuris temporibus tam salutare nostrum propositum alacriter exequi atque in partem tam gloriosi laboris vocati hæc nostra mandata pro posse explere, quod si vero in adimplendis ex asse omnibus præscriptis negligentis, incurrit, sequeve fueritis Omnipotenti Deo, Nobis, & successoribus nostris, & Venerabili nostro Capitulo strictissimam rationem reddituros, vosque nostram, & horum indignationem incursum. Actum Salisburgi Metropoli nostra hac die 14. mensis Martii Anni 1737. Leopoldus. In Nomine SSime, & Individuæ Trinitatis. Amen.

Nos Leopoldus Dei gratia Archiepiscopus, & Princeps Salisburgensis Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus Natus, & Primus Germaniæ etc.

Data Patri- bus Capuc- cinis Stationes.

§.6. Quamvis Nos divina favente clementia ad Archiepiscopale solium evecti, a prima ineuntis Regiminis nostri die antiquius nihil unquam habuerimus, quam Religionis, & Catholicæ Fidei nostræ curam, quæ semper, & ubique omni ævo, in omni Imperio, & apud quamcumque gentem præcipua fuit, quæque securum est publicæ felicitatis pignus, cujus firmamento stant Regna, conservantur Principatus, continentur subditi, omnigenique boni tutissimum est fulcrum, tantum tamen abfuit, ut hæresis, hostis ejus perniciosissimus, vinceretur, ut potius animus meminisse horreat, ipsaque refugiat oratio terribilium illud bellum, quod expropter adversus Nos, Catholicam Religionem, & Principatum ipsum inferre tentarunt ipsimet subditi nostri, dum exurgens novissime fatale monstrum ex omnibus pristinam hæresim concretum, stragem late Sacrorum tota Provincia nostra circumferre, evertere, aras, disturbare Tempia, Principis majestatem in contemptum, hujus mandata in Judibrium, jura omnia Divina, & humana per inauditum furorem, & vesaniam nefarie, & sedifrage violare parabat, nihil sceleris, nihil doli, nihil iniquitatis intentatum, & inausum relinquens, ut & plebem reliquam novitatis illecebra corrumperetur. Pluribus necesse haud est rem exprimere, quia hæc per se liquet, & loquantur id fati, & clamant tot publica acta, tot desuper habitatum Inquisitionum volumina; obliiti vero haud sumus, qui tunc Sermones hostium, qui rumores amicorum

forent, cum dicerent palam, culpæ majorum nostrorum incubuisse tandem in Provinciam hæresis infandam pestem Religionis nostræ in Archiepiscopatu, aut ipsi Archiepiscopatu, aut utriusque pariter jam esse pereundum. Alios namque tantæ molis exterrebat opus, alios retardabat exitus plenus periculi, & alex, vel ipsa rei tam ancipitis, & arduæ fama alios tenebat attonitos metu, expectatione suspensos. Vidit hoc Provincia, imo & Imperium totum & vidimus Nos Summo Pastoralis animi nostri mæore, astrudimus ipsamet Religionem furores, pugnavimus viribus totis, armis, legibus, edictis, metu, & penis. Repulimus viginti, & ultra millia utriusque sexus, qui non unam Fidem, sicut unum Principem, non unum cultum, sicut unum numen, non unam Ecclesiam, sicut unum Baptisma amplecti volebant. Relegavimus, alios aliis mediis ad meliorem reduximus frugem, atque hac demum via retulere superi constantiæ nostræ præmium, stetit Archiepiscopatus, & vicit, vicit pariter Ecclesia, & triumphavit, & obtinuit insimul, quod ab annis ultra biscentum humana vis nulla consequi, aut industria poterat, quod piorum omnium vota flagitabant: quod fideles omnes a Deo enixe precabantur, adjuvantibus in id mirifice Cœlestibus ipsis, qui hoc ipsum Nobis reservarunt opus. Verum enimvero, quod ita tamen comprimere non potuerit perfidiam hujus feralis hydræ virus, quin aliqua pars ejus non resideret adhuc in Provincia nostræ visceribus, atque spiraret rursus immanis hæc Bellua, licet centum petita vulneribus, centum vinculis restricta sensim iterum gliscens, & ad reliqui perniciem corporis tacita contagione serpens, clam invalidura in dies, in flammam, & incendia, si quis ventilabit, etiam num eruptura, dum aliter dolo cinere suppositus ignis, nisi tempestive, malo jam nostri edocti, congrua repagula ponamus, atque obviamus, appropriatis remediis, antequam morbus rursus æstuarie incipiat non desint nimirum in futurum amplius, qui misereantur super Turbam, ne plures, ut hæc evenit, & meminisse dolet, dimittantur jejuni, & deficiant in via, dum Parochis, aliisque locorum Pastoribus in peragendis Sacrificiis, excipiendis Confessionibus, administranda SSina Eucharistia, visitandis Infirmis, assistendo Moribundis, aliisque animarum curæ functionibus continue, & ex asse irretitis non erat, qui parvulis frangeret panem, instrueret ignorantes, flesteret dubios, atque ad Ecclesie ovile reduceret longe, lateque distitas oves. Hinc est, quod postquam pro pastoralis sollicitudine animum, nostrasque defunditis extirpanda hæresi curas in omnem partem diu, multumque versavimus, dumque oculos, & mentem nostram in Priorum Sæculorum monumenta penitus defiximus, unum adhuc idque unicum superesse comperimus, quod possit ignem hunc feris etiam metuendum successoribus, extinguere, perdere, & delere, si plurimi-

nimirum ex diversis Ordinibus (continua, ut sit, eaque pia inter eos laborandi in vinea Domini æmulatio, atque in diversis Montium locis, in quibus hæretica lues magis hæcenus insenuit, ut firmissima armamentaria Ecclesiæ fundentur Apostolicorum Missionariorum Hospitia, qui incessanter excurrendo, & Cathechizando, rudes instruant, dubitantes inflectant, clam inquirent in suspectos, omniaque ea peragant, quæ individuum Apostolicæ Missionis munus exposcit. Quapropter cum ad effectum præmissum inter alios plures strenuissimos Christi milites dilecti Nobis in Christo PP. Capuccini Venerabilis Ordinis S. Francisci Provincia nostræ Salisburgensis pro zelo, quo flagrant ad animarum salutem, operam suam detulerint, statuimus, & ipsos quoque in partem laboris vocare, divinaque freti ope, & constanti experientia docti, decrevimus in Domino, decernimusque ad stabiliendam in Diocesi nostra, maxime intra Montes Orthodoxam Religionem ad proliandas hæreses, atque ad propagandam majorem Dei, Sanctæque Matris Ecclesiæ, & Archidiocesis nostræ gloriam eisdem PP. Capuccinis Provincia prædictæ prope Oppidum nostrum in Werffen ad effectum tantummodo peragendam Apostolicæ Missionis Sedem stabilem figere, atque sub legibus, pactis, & conditionibus infradicendis in perpetuum firmare.

Leges ab eis observanda.

§.7. Primo itaque damus, concedimus, & tradimus antelatis Patribus ab omni, & quocumque onere reali, mixto, seu personali penitus liberam, & immunem tantam quantitatem prædii nostri nuncupati Majenfeld hæcenus ad gaudendum Præfecto nostro in Werffen concessi, & siti prope, & super Oppidum prædictum, quæ nimirum Orientem versus existit, quæque sit pro desuper extruendo Missionis Hospitio, & ædificanda parva Ecclesia, atque hortulo jugera scilicet duo circiter, prout prædium prædictum cum quantitate extrahenda, hæc undequaque linea rubra signata ad oculum præbet delineatio Nobis exhibita præsentibus nostris annexenda.

Secundo, curabunt e contra illi cum tota Provincia, ad permetipos ultro oblata Benefactorum eorum largitionibus ipsam Domum Missionis desuper ædificari, quatuor Patrum Missionariorum atque unius Fratris Laici habitationi congruam, & aptam, additis duobus cubiculis Hospitibus, seu Patri Provinciali usui futuris, præter Refectorium, Culinam cum poenu, Cellam vinariam, & aliud cubile Bibliothecæ inservitutum, cumque hortulo ad necessitatem, & usum Culinæ, in ampliore vero formam edificium nec extrahi, nec redigi possit, quorum insuper Benefactorum donis, & sumptibus surget pariter sacellum, seu parva Ecclesia, tribus ad summum Altaribus extracta, Beatae Virgini Mariæ Auxiliatrici dicanda.

Tertio Missionariorum numerus sit semper, & in ævum quaternus, Missionis

Superiore, quem Pater Provincialis semper designabit, in censum simul veniente, uno Fratre laico insuper addito, qui numerus sine expresso nostro, vel Successorum, & Venerabilis nostri Capituli consensu nullis unquam temporibus augeri, nec minui possit.

Quarto. Providebunt porro Monasteria de Salzburg, & Radstatt, sive ipse Pater Provincialis, & Provincia Missionariis prædictis de congrua sustentatione, tum & de suppellectili, aliisque necessariis ad usum Sacelli, sic, ut nec Nobis, Provincia nostræ, vel, & subditis ipsis de Districtu Missionis Capuccinorum fiant onerosi, lignis ab igne tantummodo demptis, quæ Nos, & Successores Nostri perpetuis futuris temporibus ad usum, & necessitatem Missionis Domus suppeditari mandabimus.

Quinto. Designabimus ipsis ad peragendam Apostolicæ Missionis officium totam Præfecturam Werffensem, cum adjacenti Prætura in Bischoffhoven, Præfecturam in Abbatenu cum illa de Gollingquæ hæc omnes late patent quoad temporalem per nos eorum Præfectis delegatam jurisdictionem.

Sexto. Quia vero Missionarii ipsi tam latum, longeque distitum districtum peragere haud possent, si excurrentes necessarii ad sese alendos pecuniis non fuerint instructi, hinc assignamus memoratæ Domui Missionis annuos florenos centum ex Capitali statibus Provincie a secreta deputatione Nostre ex multis hæreticis, vel de hæreti suspectis hæcenus indictis constato, & ad quinquages usus cum omnimoda immunitate ab omni decimatione, steura aliove excogitabili onere reali, aut personali elocato, volentes insuper, & mandantes, utque hæcenus per inquisitiones per Capuccinorum Missiones factas in Præfecturis Werffen, & Radstatt, tum & in Præfecturas wagram indictæ fuerunt, nondum tamen exactæ, vel ad Cassam Missionis transmissæ, aut quæ in futurum dictabuntur pecuniariae poenæ adversus subditos Missionariorum commissos, per præfatam secretam deputationem nostram eparentur, denturque successive in censum, ut supra, eum precise in finem, ut Domui Missionis prædictæ ad usum & effectum de quibus præmissum est annui floreni biscenti ex decurendis usuris valeant titulo Eleemosynæ perfolvi, ubi temporis tractu mox memoratæ indictæ, & non exactæ, vel indicendæ in futurum multæ aliud Capitale florenorum bis mille constabunt.

Septimo. Quod vero ipsomet PP. Missionarios attinet, præsentabuntur Nobis semper tum nunc, tum & successivis temporibus designandi a Patre Provinciali eorum, ubi vero ad Missiones nostras fuerint ab hoc semel delecti, ablegatique, & a Nobis recepti, & approbati, integrum illi haud sit eos aliter amovere, & avocare, quam & servato ordine, & forma, ut vel unus saltem semper adsit, qui jam per integrum biennium Missionarii in Domo prædicta Werffen exercuerit munus, habentes subditorum perspectos mores, sitque in re Missio-

Missionum versatus, & valeat instruere noviter advenientes.

Octavo. Erunt autem isti cum ipsa Domo Missionis quoad ea, quae Missionis munus concernunt, in omnem rem immediate, & unice nostris, Nostrorumque Successorum mandatis subiecti, directione eius tamen, & Visitatione P. Provincialis illius, & intacta relicta, in ceteris autem nobis, & Successoribus nostris sine ulla contradictione praestabunt, & adimplebunt ea omnia, ad quae Regulares exempti juxta praescriptum Sacri Concilii Tridentini, nostrorumque Constitutionum Synodali, & Provincialium, & Ordinaris locorum, alias tenentur, salva proinde in hac Missionis Domo, & Missionariis ibidem existentes, Dioecessana, & Ordinaria nostra jurisdictione Jure Principatus Terrae, & Advocatiae, sic tamen, ut Nobis, & Successoribus nostris dumtaxat, unice, & immediate, uti praemissum est, remaneant semper, etiam quoad ista, subiecti.

Nono. Missionarium officium, finis, atque praecipua, imo unica cura sit, per Praefecturas, ut dictum est, ipsis designatas incessanter de loco ad locum, & si necesse visum fuerit de Domo ad Domum excurrando, & cathedizando, Missionibus continuo vacare, Rudes in Doctrina Christiana instruere, dubitantes, in veritate nostrae Fidei confirmare, in haereticos, vel de haeresi suspectos, horum Consultores, Fautores, Receptatores, librorum A Catholicorum detentores, vel detentorum conscios, & non revelantes, eos in Provinciam ferentes, & intrudentes, eorumque auxiliatores, conscios, & participes inquirere, atque denunciare, Verbum Divinum, & Fidei dogmata ubivis, & etiam ex Cathedra (sic tamen, ut Ordinariorum non disturbentur Ecclesiasticae functiones, intra ipsis designatum districtum tradere licet poenitentiae Sacramentum (sola dempta confessione Paschali si locorum Curiones ultra non annuant) Sacrosanctam vero Eucharistiam in proprio, vel tantum Missionis Sacello, alibi vero non nisi, quam accedente ipsorum Curionum consensu administrare, item agris, & moribundis solatium cum auxilio impendere, aliaque peragere omnia, quae individuum Missionarii Apostolici munus exigit, jure Sepulturae, aliove quocumque Parochiali semper excepto.

Decimo. Et quia de Religione bene sperari non potest, nisi, qui Magistratum Ecclesiasticum, vel Civilem sunt assecuti, moribus scandalosi sint, aut vitii publice turpes, ea propter teantur pariter in vitam, & mores non modo subditorum ipsis quoad Missionis Ministerium commissorum, sed & eorum, quibus ipsi subditi intra designatum districtum per demandatam a nobis jurisdictionem subiant, sedulo invigilare, datoque defectu Religionis directe, vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat. Nobis, & Successoribus nostris ad proprias manus referre, ea ipsa ratione, qua e conversio nostris Decanis

Ruralibus serio demandabimus, perspicuum habendi, an Missionarii ipsi Missionis muneri debite incumbant, hocque adimpleant ex assse, quidve adversus has nostras leges, conditiones, & pacta operentur, quod si praeter spem omnem nostram daretur, eos ad adimplendum, & his legibus parendum fraternae moneant, ubi vero nec hac via defectus tollantur, & hos similiter nobis habeant referre, praecipue vero curabunt ipsi Missionarii, ut Ecclesiasticus, & Civilis Magistratus concordem vivant, utpote qui cum non sint duo distincta corpora, sed unius corporis distincta membra, sicut concordia eorum totius Reipublicae unica est Anchora, qua sublata fluctuant omnia, & Religionis contemptus oritur: sic ea servata tuto firmat, & immotam securitatem promittit.

Undecimo. Abligabuntur eapropter a Patre Provinciali, & Nobis presentabuntur viri tum scientia, tum & Sanctimonia vitae clari, simplicitatem cum astutia commixtam habentes, cordati, sagaces, graves, & prudentes in Polemica, & in his quae sunt ad bene formandam haereticam pravitatis Inquisitionem sufficienter versati, robusti, atque gravissimis Missionis laboribus sustinendis idonei, & apti, quique esse debeant, vel a Sancta Sede Apostolica, vel a Sacra Congregatione de Propaganda Fidee approbati, id est necessarii ad Missiones Apostolicas peragendas Privilegiis instructa.

Duodecimo. Ut vero penitus a subditis Ministerio Missionis eorum commissis sint independentes, veritum sit Missionariis pro celebratione Missarum Elemosynam ab illis accipere, possint vero a curatis, & Decurionibus locorum, si hi illis dare velint, & abstineant insuper ab omni quaesita, seu collectura in praedicto ipsis designato districtu (hac integra, illis, qui hactenus eis in locis ea gavisi sunt, penitus remanente) contenti in Dño esculentis, & poculentis illis, quae pili largiores ad Hospitii Januam ultro liberaliter, & charitative detulerint, & pro quibus si ita visum fuerit, sacrificia peragere possint, signanter autem caveant ab omnibus commensationibus cum illis de sepedito eis designato districtu.

Decimotertio. Fas insuper sepe relatis Missionariis haud sit eis designatum, egredi districtum a Nobis, vel Successoribus nostris praevia non obtenta licentia, quam tamen non nisi ob gravem causam eis sumus denegaturi.

Decimoquarto. Liberum e contra sit semper Nobis, & Successoribus nostris, et si erigenda Domus Apostolicae Missionis finem principaliter praeserferat, alios etiam cujuscumque Religionis, vel Ordinis in districtum Missionis Cappuccinorum designatum ad Missiones mittere, ipsos autem Missionarios Cappuccinos alibi ad Missiones (ad tempus tamen) ablegare, fundatione Domus semper salva, suoque in robore semper firma.

Decimoquinto. Quod si vero Cap-

Nos Leopoldus Dei gratia Archiepiscopus, & Princeps Salisburgensis, S. Sedis Apostolica Legatus natus, Primas Germaniae &c.

puccinorum Religio, Domus haec Missionis, seu Missionarii futuri perpetuis temporibus adversus praedictas leges, pacta, & conditiones, quidque per recursum, sive dispensationem, Privilegia, per latus, vel ferendas in contrarium Sanctiones, seu & demum per aliam quamcumque viam excogitabilem de mundo, de facto, vel de Jure attentare: Salubremve intentionem hanc nostram, quae est, ut penitus e Provincia nostra eliminentur haereses, invertere, modificare, vel aliter huic quoquodummodo derogare praesumpserint, noverint illa, & isti Omnipotenti Deo, Nobis, Successoribus, & Venerabili Capitulo nostro stricissimam rationem reddituri, seque indignationem nostram, Successorum nostrorum, & praefati Venerabilis Capituli incursum, sine quorum, & huius expresso consensu, praemissis legibus, pactis, & conditionibus nemo quacumque etiam auctoritate fulgeat, unquam poterit derogare; Siquidem derogationem aliquam, modificationem, vel commutationem huius nostrae pia intentionis non impetrandi, aut aliter per se se, vel alios quidquam in contrarium non attentandi, quin potius vero praedicta omnia, & singula perpetuis futuris temporibus pro posterorum fideliter, & jugiter adimplendi, saepe memoratus Pater Provincialis, & Definitorum proprio eorum, Successorum, & totius Provinciae nomine datis in id & Nobis extradiatis Reverentibus solemniter, bonaque Fide expromiserunt.

In quorum omnium fidem, & robur accedente toties narrati Venerabilis nostri Capituli consensu has fieri, eidemque Patri Provinciali, & Definitoribus extradii iussimus, subscriptione nostra, & appenditione Sigilli nostri majoris munitis. Quae dabuntur Salisburgi in Metropoli nostra hac die prima mensis Aprilis 1736.

LEOPOLDUS.

§.8. Nos quoque Dei gratia Andreas Jacobus Comes de Dietrichstein Praepositus, Archipresbyter, Leopoldus Ernestus L. B. de Firmian Divina pariter gratia Decanus, Franciscus Maximilianus Comes de Liechtenstein Senior, totumque Capitulum Metropolitice Ecclesiae Salisburgensis, fatemur & attestamus omnia, quae in praesentibus literis continentur, nostro consensu peracta, proindeque perpetuis venturis temporibus observanda esse, pro cuius roboratione Sigillum nostrum Capitulare appendimus, & Nos supra dicti Praepositus Decanus, ac senior haec literas manibus propriis subscripsimus. Data Salisburgi die vigesima secunda Mensis Maii Anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto.

Andreas Jacobus Comes de Dietrichstein Praepositus Salisburgensis. Leopoldus Ernestus L. B. de Firmian Decanus. Franciscus Maximilianus Comes de Liechtenstein Senior.

Consensus Capituli Salisburgensis per narrati.

§.9. Ferentibus votis in id unice intendentes, ut hoste nostro (haereticos Seditionis subditos nostros intelligimus) Deo opitulante jam fugato, id deleatur penitus, ne intrent, ut perhorrescimus, post discessionem nostram novi lupi rapaces gregi non parcentes, neve haeresis, herculea veluti hydra, utique cum majore Religionis, ac Regionis nostrae periculo, damnisque continuo repulset, novisque identidem vires reassumere attentet, auctoritate nostra Archiepiscopali, & Principali clementer, & insimul serio Paternitati tuae committimus, quatenus, quae post ultimam haereticorum emigrationem in Praefectura nostra Radstadiensis per Patres Ordinis tui Sancti Francisci Cappuccinorum tam laudabiliter, tantoque animarum fructu inceptae, & prosecutae fuere Cathedrae, & excursionis sic institutas, ut omni futurae atate perdurent. Volumus siquidem, & tibi, atque successoribus tuis, haece nostris expresse injungimus, quod cum Monasterium Cappuccinorum in Radstatt Praedecessoribus nostris ad repellendas haereses principaliter fuisse fundatum dignoscatur, duo semper in eo subsistant ad peragendum Apostolicae Missionis munus in Praefectura mox dicta idonei, & apti erunt vero illi.

§.10. Primo. Vel a Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione de Propaganda, seu ab eo, cui talis delegabitur facultas, approbati, necessarii ad Missiones Apostolicas Privilegiis instructi, nec sibi, vel successoribus tuis integrum erit, postquam illi semel fuerint ad Missiones nostras delecti, eos amovere, nisi, ubi primi integrum abolverint annum. Subrogatione, & praesentatione subinde, atque successivis perpetuis temporibus ea ratione facienda, ut unus, vel saltem ad sit, qui jam per annum in praemisso Ordine tuo assignato districtu Missionarii exercuerit munus, notos habeat subditorum, & Incolarum mores, sit in re Missionum practicus, potensque instruere noviter advenientes, & quos pro tempore Missionarios quoad ea, quae Missionis munus concernunt, immediate, & unice nostris, nostrorumque Successorum mandatis: quoad disciplinam Monasticam vero sibi, & Guardiano eorum volumus, & sinimus esse subiectos.

Secundo. Horum Missionariorum porro unica cura erit, incessanter intra praedictum Radstadiensis Praefecturae districtum, de loco ad locum, & si necesse fuerit, etiam de Domo ad Domum excurrando, Missionis Apostolicae munus alacriter explere, cathedizando rudes, in Doctrina Christiana instruendo, reducendo Dubitantes ad viam veritatis, hosque in hac confirmando, in haereticos, seu de haerese suspectos, horumque Consultores, Fautores, Receptatores, librorum Acha-

Fundatio Missionis Cappuccinorum in Radstatt.

Leges Missionariis praescriptae.

tholicorum detentores, vel Detentorum confcios, & non revelantes eos in Provinciam nostram ferentes, seu intrudentes, horumque auxiliatores, confcios, seu participes, inquirendo, hosque, & alios huiusmodi farina homines nobis, vel cui per Nos, & Successores nostros demandabitur sine aliqua personarum acceptatione, omnique seposito humano affectu, denunciando, verbum Divinum & Fidei Dogmata ubivis, & etiam ex Cathedra (sic attamen ut ordinariorum non disturbentur Ecclesiasticae Functiones) intra ipsis designatum praemissum districtum tradendo, sic & Poenitentiae Sacramentum (sola dempta confessione Paschali, si locorum curiones ultro non annuerent) Sacrosanctam vero Eucharistiam non nisi, quam in propria eorum Monasterii Ecclesia, vel alibi, habito in id praedictorum Curionum assensu, administrando, egris, & moribundis solatium cum auxilio impendendo, atque ea omnia demum peragendo, quae individuum Missionarii Apostolici exigit munus, jure Sepulturae, alioque quocumque Parochiali semper, & ubique Ordinaris locorum reservato.

Tertio volumus insuper, quod ipsi Missionarii in vitam, & mores non modo subditorum ipsis intra praedictae Praefecturae fines quoad Missionis Ministerium commissorum, sed & eorum, quibus ipsi subditi ex delegata nostra jurisdictione subsunt, sedulo invigilare teneantur, datoque defectu Religioni directe, vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat, Nobis, & Successoribus nostris ad proprias aures deferre, ea ipsa ratione, qua e contra nostris demandabimus Decanis ruralibus perspectum habendi, an Missionarii ipsi Missionis munus debite adimpleant, & assequantur ex asse, quidve operentur adversus haec nostra mandata, nobis defectus, ubi hos, si aliqui praeter spem nostram omnem contigerint, fraterna admonitio non dissipet, debite relaturis.

Quarto. Quare praesentabunt. Semper viri cum Scientia tum & vite Sanctimonia clari, justi, incorrupti, integri, suaves, & insimul severi, graves, sagaces, tam in Polemica, quam in iis, quae ad promovendam haereticalem Inquisitionem conducunt bene versati; Nec accipient illi a subditis quoad Missionis munus eis subiectis elemosynas pro Missis, aliave munera forent, licet esculenta, poculenta multo minus adhuc collecturas, seu quas suas instituent, his, & illis ceteris de Monasterio Patribus ut haecenus habuerunt, illis retentis, qui Missionarii insuper perdurante Ministerii eorum praedefinito tempore Radstadiensem Praefecturam egredi non poterunt a nobis, vel Successoribus nostris non praehabita licentia, eis veruntamen non nisi gravi de causa deneganda.

Quinto. Licet autem ordini tuo Apostolice Missionis munus in praedicta Radstadiensi Praefectura privative committimus; Liberum tamen Nobis, & Successo-

ribus nostris esse volumus, alios quoque alterius Religionis viros in Radstadiensem districtum ad tempus mittere, Missionarios de Districtu vero alibi etiam & extra illum ad Missiones, pariter tamen ad tempus, ablegare, Missionem pro Patribus tui ordinis veruntamen in Radstadiensi districtu harum tenore semper fixa, & in suo robore firma manente.

Curabit proinde Paternitas tua, tuique successores omnes, perpetuis futuris temporibus, ut tam salutare nostrum propositum alacriter exequatur, utque in partem Pastoralis nostrae sollicitudinis vocati rite, & jugiter expleant haec nostra mandata; Quod si in adimplendis ex asse omnibus praescriptis, negligentibus, incurii, segnes fueritis, Omnipotenti Deo, Nobis, Successoribus nostris, atque venerabili Capitulo nostro districtam reddituros rationem, vosque nostram, horumque indignationem noveritis incururos. Actum Salisburgi Metropoli nostra hac die 14. mensis Martii Anni 1737.

LEOPOLDUS.

Nos Leopoldus Dei Gratia Archiepiscopus, & Princeps Salisburgensis Sanctae Sedis Apostolicae Legatus Natus, Primas Germaniae &c.

§. 11. Noverit Paternitas tua, quam vesana, proterva, haeretica, pravitas Caput suum in hac Provincia nostra non ita pridem extulerit, quamque insanis conatibus abjecta prostris fronte, emotaque mente contra ipsam Principalem dignitatem nostram damnabiliter insurgere non dubitaverit, & noverit quoque, quanto Pastoralis animi nostro dolore palam jam grassante haeresi, armata etiam num vi obfistere fuerimus coacti; viginti, & ultra e Provincia pulsus millibus Lutheri, aliorumque haereticorum colluvie, peste simul, & exitio involutis. Quia vero statim firmissime toto virium nisu hostem adhuc latitantem tamdiu persequi, donec, quod Praedecessores nostri voluere semper, potuere nunquam, extrema internecione per Dei gratiam penitus extinxerimus, hinc de tua solitudine, vigilantia, & cura concreditas nostras oculos sub unius Pastoris ovili jugiter continendi clementer confisi, cumque Cappuccinorum Monasterium in Oppido nostro Dambsweg a Praedecessoribus nostris ad arcendam a Religione nostra haeresis luem principaliter fundatum esse dignoscatur, & Patres huius in participium tam gloriosi operis vocare, eisdemque perpetuum Apostolice Missionis munus in Praefectura nostra Lungaviae, qua hac late quoad temporalem jurisdictionem patet, clementissime committere, tenore praesentium decrevimus. Volumus ea propter, & Paternitati tuae serio mandamus quatenus.

§. 12. Primo. Duo nobis presententur Patres de Familia Monasterii in Dambsweg ad praefatum Apostolice Missionis Ministerium rite obeundum idonei, & apti, vel a Sum-

Alia Missio, & Praefectura ejusdem Ordinis in Dambsweg.

Quid a Missionariis sit praestandum.

Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione de Propaganda, seu ab eo, cui ab hac talis delegabitur facultas, approbati, necessarii ad Missiones Apostolicas privilegiis instructi, nec tibi, successoribusque tuis integrum sit, postquam illi semel fuerint ad Missiones nostras delecti eos amovere, nisi ubi primi integrum absolverint annum, subrogatione, & praesentatione, subinde, atque successivis perpetuis temporibus ea ratione facienda, ut unus, vel saltem adsit, qui jam per annum in praemisso Ordini tuo assignato districtu Missionarii exercuerit munus, notos habeat Subditorum, & Incolarum mores, sit in re Missionum practicus, potensque instruere noviter advenientes, & quos pro tempore Missionarios quoad ea, quae Missionis munus concernunt, immediate, & unice nostris, nostrorumque Successorum mandatis, quoad disciplinam monasticam vero tibi, & Guardiano eorum volumus, & finimus esse subiectos.

Secundo. Horum Missionariorum porro unica cura erit incessanter intra praedictum Lungaviensis Praefecturae districtum de loco ad locum, & si necesse fuerit, etiam de Domo ad Domum excurrere, Missionis Apostolice munus alacriter explere catheticando, rudes in Doctrina Christiana, intruendo, reducendo dubitantes ad viam veritatis, hosque in hac confirmando, in haereticos, seu de haeresi suspectos, horumque consultores, fautores, receptatores, librorum A catholicorum detentores, vel detentorum confcios, & non revelantes eos in Provinciam nostram ferentes, seu intrudentes, horumque auxiliatores, confcios, seu participes inquirendo, hosque, & alios huiusmodi farina homines, Nobis, vel cui per Nos, & Successores nostros demandabitur, sine aliqua Personarum acceptatione, omnique seposito humano affectu, denunciando, verbum Divinum, & Fidei dogmata ubivis, & etiam ex Cathedra (sic attamen, ut Ordinariorum non disturbentur Ecclesiasticae functiones) intra ipsis designatum praemissum districtum tradendo sic, & Poenitentiae Sacramentum, (sola dempta Confessione Paschali, si locorum Curiones ultro non annuerent) Sacrosanctam vero Eucharistiam, non nisi, in propria eorum Monasterii Ecclesia, vel alibi, habito in id praedictorum Curionum assensu, administrando, egris, & moribundis solatium cum auxilio impendendo, atque ea omnia demum peragendo, quae individuum Missionarii Apostolici exigit munus, jure Sepulturae, alioque quocumque Parochiali semper, & ubique Ordinaris locorum reservato.

Tertio. Volumus insuper, quod ipsi Missionarii in vitam, & mores non modo subditorum ipsis intra praedictae Lungaviae fines quoad Missionis Ministerium commissorum, sed & eorum, quibus ipsi subditi ex delegata nostra jurisdictione subsunt sedulo invigilare teneantur, datoque defectu Religioni directe, vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat, Bull. Rom. Tom. XIV.

Nobis, & Successoribus nostris ad proprias aures deferre; ea ipsa ratione, qua e contra nostris demandabimus Decanis ruralibus perspectum habendi, an Missionarii ipsi Missionis munus debite adimpleant, & assequantur ex asse, quidve operentur adversus haec nostra mandata, Nobis defectus, ubi hos, si aliqui praeter spem nostram omnem contigerint, fraterna admonitio non dissipet, debite relaturis.

Quarto. Quare praesentabuntur semper viri cum scientia, tum, & vite Sanctimonia clari, justi, incorrupti, integri, suaves, & insimul severi, graves, sagaces, tam in Polemica, quam in iis, quae ad promovendam haereticalem inquisitionem conducunt, bene versati; nec accipient illi a subditis quoad Missionis munus eis subiectis Elemosynas pro Missis, aliave munera, forent licet esculenta, & poculenta, multo minus adhuc collecturas, seu quas suas instituent, his, & illis ceteris de Monasterio Patribus, ut haecenus habuerunt, illis retentis, qui Missionarii insuper perdurante Ministerii eorum praedefinito tempore Lungaviensem Praefecturam egredi non poterunt a Nobis, vel Successoribus nostris non praehabita licentia, eis veruntamen non nisi gravi de causa deneganda.

Quinto. Licet autem Ordini tuo Apostolice Missionis munus in praedicta Lungaviensi Praefectura privative committimus, liberum tamen Nobis, & Successoribus nostris esse volumus, alios quoque alterius Religionis viros in Lungaviensem districtum ad tempus mittere, Missionarios de districtu vero alibi etiam, & extra illum ad Missiones pariter, tamen ad tempus, ablegare, Missionem pro Patribus tui Ordinis veruntamen in Lungavia praedicta, harum tenore semper fixa, & in suo robore firma manente.

Curabit proinde Paternitas tua, tuique successores omnes, perpetuis futuris temporibus, ut tam salutare nostrum propositum alacriter exequantur, atque in partem Pastoralis nostrae sollicitudinis vocati rite, & jugiter expleant haec nostra mandata. Quod si in adimplendis ex asse omnibus praescriptis negligentibus, incurii, segnes fueritis, Omnipotenti Deo, Nobis, Successoribus nostris, atque venerabili nostro Capitulo districtam reddituros rationem, vosque nostram, horumque indignationem noveritis incururos. Actum Salisburgi Metropoli nostra hac die 14. mensis Martii Anni 1737. LEOPOLDUS.

In Nomine Sanctissime, & Individuae Trinitatis, Amen.

§. 12. Nos Leopoldus Dei gratia Archiepiscopus, & Princeps Salisburgensis S. Sedis Apostolice Legatus Natus Primas Germaniae &c.

Quamquam ex quo ad Archiepiscopalis, & principalis celsitudinis culmen supermi Numinis benignitate fuimus evocati, ac quasi in sublimi specula positi, unde per circumspectam sollicitudinem Nostrae vigilan-

Missio Benedictinorum.